

bui, rebus humanis erepto) ^{b)} quo mihi, homini licet quadragenario, et ciui academico quintum iam lustrum videnti, et doctōri quatuordecim fere annos ius priuatim profitenti, haec obtingit felicitas, vt possim munus antecessoris, Serenissimi Principis Electoris auctoritate, in hac alma litterarum vniuersitate extra ordinem fidei meae ac qualicumque dexteritati clementissime commissum, more institutoque maiorum, Vobis tanta frequentia, tamque splendido confessu laetis me faustisque ominibus benignissime prosequentibus, casta piaque mente auspicari. In quo quidem munere, amplissimo sane atque grauissimo, mihi demandando viri illi, excelso atque illustri loco constituti, quibus academiae nostrae cura a Principe est concredita, hoc potissimum videntur spectasse, vt tum docendo, tum scribendo pro virili aliquid conferre ad laborarem ad propagandam ornandamque iurisprudentiam humaniorem, qua, exemplo antecessorum superioribus saeculis in Francogallicis academiis celeberrimorum, Cuiaciorum, Contiorum, Merilliorum, et aliorum huius generis, et apud Batauos Noodtiorum, Schultingiorum, Westenbergiōrum, horumque similium,

b) Hanc lamentabilem vocem, cognito demum in conclauī, vbi ante orationem proceres vtriusque reipublicae conueniunt, optimi

praeceptoris obitu, de quo antea nondum audieram, acerbissimus, qui inuasit animum, dolor mihi expressit.